

strui. 2. Homo de sua, in fide & obedientia, perseverantia certus esse potest, Philip. 1. Qui cepit in vobis bonum opus, perficiet usque ad diem Iesu Christi, 1. Corinth. 1. Fidelis est Deus, per quem vocati estis, qui confirmabit vos, 1. Petr. 1. Virtute Dei custodimur per fidem ad salutem.

Object. 3. *Scriptura Salvandi difficultatem in multis locis exaggerat.*
Matth. 7.

Resp. 1. Hinc tamen inferri non potest, esse de salute dubitandum. 2. Et quemadmodum Scriptura in aliquibus locis exaggerat difficultates, quæ his objiciuntur, qui ad vitam æternam contendunt, ita in aliis locis certitudinem salutis inculcat, & omnibus istis difficultatibus opponit potentiam Christi, ut & fidei virtutem. Confidite, ego vici mundum, Iohan. 16. Hæc est victoria, quæ vicit mundum, fides nostra 1. Iohan. 5. Omnia credenti sunt possible, Marc. 9. *Brochmand.*

CAPUT VI. DE ELECTIONE.

Cum effecta Dei, quæ vocavimus priora, in præcedentibus tractata fuerint, & ita actum sit de creatione, & in specie Angelorum & Hominum sub diversa consideratione. Jam tractanda veniunt effecta ejus, quæ dici possunt Posteriora in reparatione nimirum humani generis.

Quæ considerantur, vel, ut ab æterno decreta, vel, ut in tempore expedita.

Hoc igitur capite de decreto reparationis agendum erit, antequam de executione ejus per Christum tractatio instituat.